



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

17. Spes in Homine, aut in Creaturâ An, Quando, Quomodo licita?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

tyast Syria Regis exercitus de manu tua. Totus est in hoc argumento Rex David Psalmo XLII. Quàm illa ad rem hanc præclara! In Te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus nõ salvabit me. Exsurge Domine, adjuva nos & redime nos propter nomen tuũ. Et Ps XLVI. Nõ in fortitudine quis voluntatem habebit, nec in tibus viri beneplacitum erit ei. Quid Ieremiã cap. XVII. ex instinctu Omnipotentis Maledictum pronunciat, qui confidit in homine: & Benedictum, qui confidit in DEO. Quæ Patres diligenter perpendunt: diserte S. Augustinus epistola quinquagesima secunda, & D. Chrysostomus homil. LVI. in Genesim, & in Psal. XVII. ubi illud: Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus, dicit non esse accipiendum cõparativè, quasi aliquo modo sit bonũ sperare in Principibus; sed Scripturam suo more ad faciliorem rudium captum, significare, simpliciter malum esse, sperare in homine etiam Principe.

ARTICULUS XVII.

SPES IN HOMINE

Aut in Creatura, An, Quando, Quomodo licita.

ERGO, dicis, nullã ratione sperandum est in homine? nullũ ab eo postulãdum auxiliũ? Conficietur inde, neque ad Cœlites confugiendũ in necessitatibus, neque in bonis operibus Spem locandam? Animadvertit hæc obduci posse S. Thomas Aquinas qui respondet. Vti non licet sperare aliquod bonum, præter DEUM & beatitudinem, sicut ultimum finem, sed solũ, sicut id, quod est ad finem beatitudinis ordinatum; ita non licet sperare de aliquo homine, vel de aliqua

creatura, sicut de prima Causa movente in beatitudinem. Adde
autem, Licet tamen sperare de aliquo homine, vel creatura, sicut
de agente secundo, & instrumentali, per quod aliquis adju-
tur ad quacumque bona consequenda in beatitudinem ordinata.
Breviter. Non licet sperare in homine, aut aliâ creatu-
râ, tanquam in Prima Causa movente ad beatitudinem,
sed solum, tanquam in agente secundo, atque instru-
mentali. Ex quo consequitur, *Primò*: Posse justum, & fi-
delem quemcumque in bonis operibus Spem & fidu-
ciam aliquam collocare, modò absit præsumptio, & hu-
perbia. Nam quemadmodum misericordia DEI, ita &
bona operum merita sunt vera salutis causa: licet autem
confidere in omni vera causa, quæ ad finem operatum
speratumque consequendum noscitur idonea. Exem-
plo id patet in rebus corporalibus. Siquidem agrotans
rectè confidit, non solum in arte ac industria Medici,
sed etiam in virtute & efficacia medicamentorum, Ad-
que hoc non tam est confidere in homine & proprie-
tate virtute, quam in eius qui virtutem contulit gratia, & in
re nostra, in DEO, cujus munera sunt bona opera. *Secun-
dò*, licitum esse, ut in operibus bonis, sic in proximorum
auxiliis Spem aliquo modo ponere cum subordinatio-
ne ad Deum, ut salutis causam principem. Ex quo se-
quitur. *Tertiò*, fas esse, in Sanctis, sive eorum precibus
intercessione Spem eadem limitatione ponere. Nam
vera Sancti possunt hominibus esse auxilio ad conse-
quendam beatitudinem: potest igitur id ipsum ab eis
postulari, possunt id homines sperare.

QVARE possunt fideles in necessitatibus suis ad alium
quem Sanctorum se convertere, ut est Jobi v. capite.
Quod consilium Eliphazi videtur sequutus Iob ipse
cap. xix. ubi supplex in hæc verba prorumpit: *Miseremini
mei, miseremini mei saltem vos amici mei.* In quæ verba scribitur

S. Angu-

S. Augustinus, videri Patientem Angelos postulare, ut pro se deprecetur: aut certè Sanctos, ut pro pœnitente orent. Idem Sanctus Doctor Sermone XVIII de Sanctis Reginam Sanctorum omnium ita alloquitur: *Tu es SPES unica peccatorum: per Te speramus peccatorum veniam: & in Te, Beatissima, nostrorum est expectatio premium.* Sanè, cùm inter omnes Sanctos emineat DEIPARA, quæ Sanctum Sanctorum peperit, non dubitavit Ecclesia Catholica in Antiphona *Salve Regina* illi dare titulum, quem quotidie usurpamus *SPES nostra*. Quomodo eam vocat B. Ephræm oratione de laudibus Virginis, & alii Ecclesiæ tum Græcæ, tum Latinæ Patres, idq; sine DEI vel Christi Domini injuria. Quomodo Apostolus absque injuria Christi vocavit Thessalonicenses *Spem suam*, *Gaudium suum*, *Gloriam suam*. Injuriam Christo haud quam intulit deditissimus Virgini Bernardus, ita de illa scribens: Serm. de Aquæductu. *Filioli, hæc peccatorum Scala, hæc mea maxima Fiducia est: hæc tota ratio Spei mea.*

QVOD autem Propheta Ieremias dixit: *Maledictus vir qui sperat in homine*, intelligendū est de eo, qui potissimam suam Spem in homine collocat, ut in Domino Deo suo nulla ratione confidat. Sic enim subsequitur: *Et à DEO recedit cor ejus.* At verò, qui piè, & vt Sancta mater Ecclesia docet, & in Sanctis, ac Sanctorum Regina confidunt, principaliter, directè, ac potissimùm confidunt in DEO. Quare nos meritò cum Ecclesia illi quotidie acclamamus, *Salve SPES nostra*, Spes instrumentaria, accidentaria, accessoria: nam primaria, princeps, substantialis est DEUS Pater, Filius, Spiritus-Sanctus DEUS Vnus & Trinus, cui laus, honor, gloria in secula seculorum. AMEN.

(* *)

Kk 4

SER-